

Fol. 105'. Habitabant tunc in ea¹ Gethe, qui alio nomine Gothi dicuntur, gens bellicosissima et militari exercitatione egregia. Et qui vult plenius scire, hec gens que fuerit, librum legat de actibus Getharum, quem Jordanis episcopus Ravennatis scripsit Dux igitur Adalbaldus in Wasconiam profectus beatam Rictrudem puellam alto sanguine ortam vidit, dilexit, legitimam uxorem duxit et in his ultimis Gallie finibus secum adduxit. Fuit autem filia Hernoldi clarissimi et fortissimi, cognomento Nobilis, de gente Getharum. Cuius gesta militaria rithmice composita et eius fratrum² adhuc decantantur in palaciis regum et theatri populorum.

De reedificatione Duacensis castris et liberis, quos beata Rictrudis genuit. IIII.

Fol. 106'. De ducis Adalbaldi interfectione et beate Rictrudis conversione. V.

Fol. 107'. De situ Marcianensi et constructione³ cenobii et dedicatione ecclesie. VI.

Marcianensis igitur locus circumfluentibus aquis et palustri harundine circumdatur, tellus arenosa et in reducto sinu paululum eminentior. Ad aquilonarem eius plagam extenditur grandis silva lignorum germinantium hinc et inde abilis materiei ad quecumque volueris clausure, abilis ad conficiendos rogos, utillima usibus diversis. Ad australem partem fluvius Scarpi per fines contiguos orientem versus mediterraneus labitur. Ex utraque parte huius fluminis prata adiacent larga et undique diffusa et satis superque abundantissime palustris herba. Omnis circumiacens terra licet colentibus angusta et rara, quia fluminis alveus molli lapsu defluens atque molendinorum sculis obsistentibus pigrior effectus frequenti alluvione redundans quondam humum fructiferam nunc in amnem producit et generat paludem. Ad orientalem Marcianensis ville partem cenobio rite composito et a duobus venerabilibus episcopis Autberto videlicet et Amando monasterio in honore apostolorum Petri et Pauli sexto Kl. Novenbris sollempniter dedicato nobilis matrona Rictrudis voti compos universa, que sibi residua videbantur esse, testamentum legitimum faciens perpetuo iure possidenda liberaliter sanctis Dei et eidem contulit monasterio. Obtulit quoque secum tres filias suas virgines infantulas regi Christo celesti sponso fore carissimas.

Fol. 108. Quot beate Rictrudis causa in loco monachorum sanctimonialia substitute⁴ sint. VII.

Fol. 108'. De conversione beati Mauronti et exilio beati Amati archiepiscopi. VIII.

1) Scil. Wasconia. 2) In dem Hernold und seinen Brüdern haben wir wohl den Ernaud de Gironde und dessen Brüder zu verstehen, die in den 'Geste de Garin de Monglane' mit dem Sagenkreis des Wilhelm von Orange verschmolzen sind. Vgl G. Paris, *La littérature française au moyen age* (Paris 1888), S. 62. 3) 'constructione' Hs. 4) 'sustitute' Hs.